

Fidelis Rädle

Ioannis Baptistae Adolphi S.J. Drama de „Arminio Germaniae defensore“ Latinum (anno MDCCI Vindobonae exhibut)

Erstveröffentlichung: *Ad fines Imperii Romani Anno bismillesimo cladis Varrianae: Acta Conventus Academiae Latinitati Fovendae XII Ratisbonensis*, ed. Jan-Wilhelm Beck (*Supplementa Humanistica Lovaniensia* 28) Leuven 2011, pp. 131–138.

Ergänzungen und Korrekturen, auf die im laufenden Text durch Nummern in {} verwiesen wird, finden sich am Schluß des Beitrags.

Sodales!

Agendum est de dramate quodam Latino adhuc inedito, quod Ioannes Baptista Adolph, e Societate Iesu sacerdos, non sine lepore compositum anno millesimo septingentesimo primo coram Augustissimo Austriae Imperatore Leopoldo primo eiusque coniuge Eleonora Magdalena Theresia et sex liberis eorum Vindobonae in theatro aulico exhibuit. Leopoldus ille Imperator, vir doctus sed fortasse nimis pius, qui ipse cum suis inter spectatores fuit, per quadraginta septem annos Sacrum Imperium Romanum gubernabat et post complura bella Marte dubio acta duobus tantum annis ante hanc dramatis exhibitionem cum Turcis demum feliciter pacem perpetuam composuerat. Hac de causa Imperator ipse in hoc dramate Atlantis Germaniae titulo ornabatur, quippe qui Europae defensor merito haberi posset, exemplum secutus illius Arminii, qui olim Germaniam a Romanis liberavisse dicebatur.

Drama nostrum, cui totus titulus *Amor patriae sive Arminius Germaniae defensor*, scripsit Ioannes Baptista Adolph (1657–1708), {1} natione Silesius, qui in variis Societatis Iesu collegiis Hungaricis vel Austriacis iuventutem studiosam litteras Latinas docebat, postremo autem multa et varia dramata in theatro aulico Vindobonensi exhibenda composuit. Haec autem dramata non solum ex nudis, ut ita dicam, verbis quantumvis elegantibus constant, sed abundantissime instructa et ornata sunt modis musicis, quos addidit Ioannes Bernardus Staudt (1654–1712), Societatis Jesu Vindobonensis compositor musicus tunc non ignotus. Ille etiam nostri dramatis partes aliquas suis modis musicis exornavit, scilicet Prolusionem (quam personae allegoricae sive personae fictae agunt), Chorus actum primum et secundum claudentes necnon Epilogum, insuper quaedam carmina actioni ipsi inserta (velut illud Thusneldae lugentis carmen amatorium ad Arminium maritum directum vel carmen aliud et quidem magicum fatidicae virginis). Ergo non ita longe abesse videtur hoc drama ab

illo genere dramatis musici, quod ex Italia illatum est in Germaniam et postea Vindobonae florebat. [S. 132]

Sed hac in acroasi, proh dolor, illi modi musici plane negligendi videntur, tam ob angustiam temporis et rei demonstrandae difficultatem quam ob meam artis musicae imperitiam deplorandam.

Drama nostrum divisum est in actus tres, quos praecedit Prolusio allegorica, quos claudunt duo Chori et Epilogus (loco chori tertii). Etiam Chori et Epilogus a personis fictis aguntur.

Argumentum sumptum est e Cornelii Taciti Annalium libro primo, qui continet discordiam illam inter Arminium et Segestem post Varianam cladem ortam, continet Thusneldae Segestis filiae Arminiique mulieris sortem miseram et exilium, continet denique bella crudelia, quae Romani duce Germanico Caesare intulerunt gentibus Germanis, quorum fuit dux Arminius. Haec omnia facta sunt anno quinto decimo, id est sexennio post illam victoriam nobilem, cuius memoriam nos hoc anno colimus.

Auctor personas dramatis praecipuas vel principales (et quidem notissimas) ex ipso Taciti libro sumpsit, alias libere ac sua sponte inventas introduxit.

Actores praecipui sunt hi:

Arminius, Cheruscorum dux iuvenis, amans patriae, libertatis cupidissimus, heros praeclarus (cui tamen Tacitus innatam fuisse violentiam scribit);

Segestes, Arminii aemulus, proditor populi sui perfidus (quem tamen Tacitus ut Romanorum fidum socium et pacis servatorem laudat);

Filia Segestis (cuius nomen Thusnelda non expresse proditur), Arminii uxor fida praegnans, quam Segestes captivam retinet in exilium Ravennate mittendam (quam, secundum Tacitum, Arminius, qua erat violentia, invito patre per vim raptam gravidam fecerat);

Germanicus Caesar, dux exercitū Romani;

Ingiomerus, Arminii avunculus, Germanorum dux.

Novae personae introducuntur hae:

Crispus, Thusneldae fraterculus fidelis, qui cum sorore in exilium ire cupit;

Sifridus, qui Thusneldam e vinculis liberatam Arminio reddit; itaque non immerito

Sifridus, id est nomine heroico ut ita dicam germanissimo, nominatur;

Velleda, fatidica virgo, quam Arminius dubius de proelio ineundo consultit.

Quis autem est finis huius dramatis?

Primo: Laus libertatis vel gloria liberatoris, id est Arminii, qui Romanos, necnon Leopoldi Imperatoris, qui Turcas devicit.

Secundo: Laus Germaniae vel laus virtutum populi Germani.

Quae sunt illae virtutes praecipuae Germanorum? Fortitudo et fidelitas. [S. 133]

Itaque auctori nostro curae erat, ut omnes cognoscerent, quanti aestimanda esset libertas recens a Turcis recuperata necnon quantis laudibus et gratiis dignus esset liberator novus, Leopoldus Imperator. Tamen hoc spectaculum non plane panegyricum est, quod, ut scimus, taedium parere solet spectatoribus. Inest enim huic dramati praeter actiones publicas et militares res illa humana dulcissima, quae re vera animos movere potest, scilicet amor coniugalis inter Arminium et Thusneldam, quem amorem prohibere studet Segestes, Thusnelda pater crudelis. Quo fit, ut spectatores non solum fortitudinem Arminii et fidelitatem siorum eius admirantur, sed etiam timeant, ne Thusnelda praegnans marito suo surrepta in exilium mittatur, doleant separationem amaram amantium, sperent eorum redditum et dulcem reconciliationem. Itaque spectatorum animi moventur tam gaudio quam dolore, tam timore quam spe. Quae spes cunctos tandem non fallit, quia actio haec ad finem laetum, immo ad triumphum deducitur. Nam Sifridus heros ille Thusneldam liberatam Arminio incolumem et integrum reddit, Romani in patriam abscedunt, gentes Germanae concordes coniunguntur, quarum duces cum Arminio sanguinem e brachiis elicuit una bibendo foedus novum et perpetuum ineunt. Talis enim sanguinis commixtio et sorbitio communis apud Germanos summae amicitiae et fidei signum erat.

Vos omnes non ignoratis, rem apud Tacitum plane aliter se habere. Ibi enim Romani Germaniam minime relinquunt, Thusnelda Ravennae exul captiva retenta misere moritur, gentes Germanae inter se dissidere atque discordare non desinunt, postremo Arminius propinquorum dolo cadit.

Sed tragoedia illa ab auctore nostro in comoediā versa est, quae tam plebi quam Imperatori magis placuisse videtur. Omnes enim homines, et praesertim Austriaci, magis rebus laetis quam rebus tristibus inclinare solent. Exornabatur haec comoedia, ut iam dixi, cantionibus et saltationibus. His enim maxime delectabantur spectatores, quorum maior pars verba Latina satis intelligere fortasse non potuit.

Nunc autem ordinem rerum explicemus. Quam plurimi loci ex ipso dramate excerpti atque proponendi videntur, ut vos, Sodales, non solum cognoscatis, quid agatur in scena, sed etiam, quanta cura auctor elocutionem expoliverit.

Drama nostrum incipit a prolusione allegorica, in qua personae fictae cantantes inter se disceptant, scilicet Concordia et Fidelitas impugnant [S. 134] Martem et Dolum, qui Atlanti Germaniae, id est Leopoldo Imperatori, vim inferre conantur.

Cantat autem Concordia hos versus rhythmicos:

*Inane has minas
Concordia videt,
Non timet ruinas,
Sed machinas ridet.
En nostro pro Atlante*

*Vel ipsum Coelum stat.
Concordiâ tutante
Pro scuto murum dat.* (fol. 28r)

Partes illae, quae canuntur, ut videtis, ab auctore nostro non ratione metrica (id est metro iambico) sed ratione rhythmica (cum extremarum syllabarum consonantia) compositae sunt; quod versuum genus cantui aptius esse videtur.

Sequitur argumentum scenae primae Actus primi:

Arminius gaudet, sibi post cladem Varianam Romanis illatam eótenus res ex voto fluxisse; juniores quidam Germaniae Principes ejus castra secuti spondent eidem pro gratitudine honores Patriae Heribus debitos. (fol. 39r)

Arminius suos milites alloquitur his verbis:

[...] *Vertenda sed nunc studia, Libertas suâ
Ne parta rursum sede subversâ excidat.
Pulchrum est per arma quaerere, aut regna extera,
Aut liberare propria; sed suppar huic
Virtus, tueri parta. Moliri scio
Nova bella Romam. quodque damnandum est magis,
Degenere Patriae filio, in belli facem
Animante flamas. Eloquî nomen pudet,
Nomen scelestum, perfidum, execrabile.
Sed quia taceri scelera non possunt diu,
Dicam: Est Segestes proditor Patriae suae.
[...] Discant (scil. Romani) vereri Teutonum invictas manus.
Sperate, justa causa Victores parit.* (fol. 39v)

Ergo Segestes, qui filiam suam, Arminii uxorem praegnantem, captivam retinet, obsidetur ab Arminio. Segestes autem ille Romanorum socius et *proditor Patriae suae* auxilium petit a Germanico Caesare, Romanorum duce. Arminius suos his verbis incitat:

[...] *State magnanimi viri,
Germana corda, Gentis inimicae tremor,
Vicisse sueti, excipite generosâ manu [S. 135]
Palmarum paratam, redeat in mentem decus
Nominis aviti, et vividus animi calor,
Roburque manuum, et pectoris, et apta asperis
Natura rebus.* (fol. 39v)

Tunc revocat memoriam cladis illius Varianae his verbis:

[...] *Sexies nondum integrè*

*Cursum revolvit Cynthius; quando minas
 Florentis ausos spernere Ausonici throni,
 Ternâ, triumpho triplici inimicum, die
 Stravisse vidi. Et huius à caede reliquum
 Audio venire vulgus, occisi Ducas
 In ultionem. Veniat. Alemanno parit
 Objectus hostis gloriam, et fusus cruor.
 Uterque sribit nomina Heroum in libro
 Aeternitatis.* (fol. 40v)

Sequitur saltus Tympanistarum.

Deinde Segestes a Romanis duce Germanico Caesare liberatur et se Romanorum socium esse iurat. Filia eius Thusnelda captiva, quia fidem mariti sui Arminii servat, crudeliter tractatur.

Segestes liberatus, Germanicus Caesar, Uxor Arminii inter se loquuntur his verbis:

SEGESTES	
[...] <i>Vive Romulidum decus</i>	
<i>Belli Imperator, Victor, et vitae meae</i>	
<i>Assertor.</i>	
GERMANICUS	
<i>Et quae turba comitatur virum</i>	
<i>Nobis fidelem?</i>	
SEGESTES	
<i>Filia, et multus cliens</i>	
<i>Juratus in mea verba, et Ausonidum fidem.</i>	
GERMANICUS	
<i>Tune es Segestis filia?</i>	
UXOR ARMINII	
<i>Arminii mei</i>	
<i>Devota conjunx.</i>	
GERMANICUS	
<i>Sed Segestis filia?</i>	
UX. ARM.	
<i>Captiva.</i>	
GERMANICUS	
<i>Tamen et filia?</i>	
UX. ARM.	
<i>Arminio sacra.</i>	
GERMANICUS	
<i>Proterva mulier! Proprium in Patrem impia!</i>	
<i>Rea geminati sceleris: et quod mibi Duci</i>	

Illudat, et quod pertinax neget Patrem. (fol. 50r)

Thusnelda captiva suam fidem marito absenti probat, sed a Segeste Ravennam mittitur, ne ad Arminium redire possit.

Arminius autem, de pugna ineunda dubius, consultit virginem fatidicam Velledam de proelii instantis eventu; discit hostem pelliciendum esse ad Saltum Teutoburgensem.

Alloquitur Arminius Velledam (cuius nomen ex Taciti *Germania* sumptum est) his verbis:

[...] *Divum Soror,*
Fatidica Nympha, grandis et amor et decus
Gentis Cheruscae, nosse cui rerum datur
Eventia, dirige Principem Alemannum tuo [S. 136]
Ariadna filo, et pande Labyrinthe exitum
Marti ambigenti. (fol. 55v)

Velleda baculo suo rotam Fortunae attingens hoc carmen magicum (iterum versibus rhythmicis compositum) canit:

Vohere, volvere,
Rotula mea!
Loquere, loquere,
Lubrica Dea!
Omina Principis
Indice bea!
Vohere, volvere,
Rotula mea! (fol. 55v)

Velleda interrogata, quid Fortuna, illa *Lubrica Dea*, de Arminio decreverit, respondeat: *Cedendo caedet.* Haec verba satis obscura daemunculus quidam Velledae servus, cui nomen Spiritellus, interpretatur; suadet enim Arminio, ut fugam (*fugam dolosam*) simulet:

Sic provocati gentis inimicae Duces
Ad Teutoburgum bella traducent nemus
Prope Varianas rursus habituri vices,
Sed non inulti. (fol. 57r)

Germanicus ergo castra Romana locat ad Saltum Teutoburgensem, ubi ante sexennium Quintilius Varus ab Arminio caesus fuerat. Ibi adhuc inhumata iacent ossa caesorum Romanorum, quae intuens Germanicus Caesar summa tristitia permotus reminiscitur illius clavis et militibus suprema solvi mandat his verbis:

*Hic ergo tristis ille funeribus locus
 Quintiliana Cladis! o acerbas vices
 Sortis furentis! Gloria Quiritum jacet!
 Et ille charus Patriae Herorum crux
 Tabo fluenti immersus, heu! lugubre nimis
 Pandit theatrum! Vare! quō te nunc locū
 Aspicio! Syriae nuper edomitae timor,
 At nunc Thuiscae gentis inamoenus jocus.
 Proh! quale, quamque cadaverum informe hīc chaos!
 Humana brutis, hostibus amici, Duces
 Vulgo, Quirites Teutoni immixti undique,
 Quam rana monstrant omnia. Est unus cinis
 Plebeius hīc et nobilis. Sed quid moror
 Lessu supremo, ab hoste praeteritos, dare
 Socijs honores? Legite confusas Patrum
 Fratrumque partes, corpora, exuvias, humum
 Cruore sparsam, et ossium quidquid super, [S. 137]
 Inferte tumulis vina, lac, flores, favos
 Adjicite mellis, carmen accinete, et simul
 Vovete Patriae victimis faciles Deos.
 Suprema sunt haec militum stipendia:
 Laudata virtus mortui, et tumulus brevis. (fol. 66r)*

Interea Arminius certior factus, conjugem suam Ravennam in exilium missam esse, Sifridum iubet illam quocumque modo (heroico certe) intercipere et liberare.

Initur proelium, eventu dubio pugnatur; Flavius, Germanici Caesaris frater, qui a Germanis captus esse dicebatur, incolumis reddit ad Germanicum. *Gaudet Germanicus, sed nihil ausus ultra movere cum Arminio e Germania recedit.* (fol. 68v). Quis credat, rem tanti momenti tam facile solvi potuisse!

Reducitur Thusnelda, quam liberavit Sifridus, ad Arminium maritum desideratum. Arminius et Uxor eius exultantes inter se haec verba miscent:

ARMINIUS

*Tandem meorum summa votorum redi,
 Dilecta consors.*

UXOR

*Armini, quantis tui
 Cor aestuabat ignibus, solus potest
 Referre carcer, Patris immitis furor
 Quō me retrusit.*

ARMINIUS

Credo, nam novi indolem,

*Firmamque pacto foedere jugali fidem.
Sed ista nubes cessit, albentem explicat
Sol in serena tempora deinceps comam.*

UXOR

*Faciant benigna sidera, ut nobis sit hoc
Meminisse dulce, quod fuit durum pati.
Et laeta currat omnis Arminio dies.* (fol. 70v)

Sequitur coniuratio Principum Germanorum, qui sanguinem e bracchiis elicium communiter bibendo aeternam fidem inter se pollicentur.

Quam coniurationem Arminius his verbis finit:

*Ligavit ergo Principum ebibitus crux
Animos meorum. Restat hoc unum, ut bene
Teutonia speret. Quando nam causa est bona,
Fideliumque Principum unitur manus,
Confoederatur pariter ad bellum DEUS.* (fol. 71v)

Hic est exitus huius actionis felicissimus – secundum auctorem nostrum, non secundum Tacitum.

Additur Epilogus, quem cantat Chorus cum Fidelitate, Concordia et Majestate, personis fictis:

CHORUS

*Ergo Patriae in bonum
Ad servandum vestrum thronum,
Conjurare,[S. 138]
Conspirate,
Vitam date, posteri!*

FIDELITAS: *Dolus intereat.*

CONCORDIA: *Ambitus pereat.*

MAJESTAS: *Mars victus moereat,*

CHORUS:

*Et laurum det,
Ut Patria stet.* (fol. 72v)

Notae:

Drama nostrum asservatur in:

Österreichische Nationalbibliothek Wien, Cod. Pal. Vindob., fol. 26r–83r.

De eius auctore egit:

F. G. SIEVEKE: Johann Baptist Adolph. Studien zum spätbarocken Jesuitendrama, Diss. Köln 1966;

F. G. SIEVEKE, „Adolph, Johann Baptist“ in: W. KILLY: Literatur Lexikon, Autoren und Werke deutscher Sprache, Band 1, S. 53f.

Ergänzungen:

{1} Vgl. jetzt: F. G. SIEVEKE, „Adolph, Johann Baptist“, in: Frühe Neuzeit in Deutschland 1620–1720. Literaturwissenschaftliches Verfasserlexikon, Band 1, (2019), Sp. 57–68.